

vos venturo^a suggereret. Interim certe quasi vobis vestrisque^b fruens, totum me vestrę fidelitati transscribo, fidens semperque fisurus eque de vobis, tametsi terrarum et maris immanitas spem vestrę visionis nullarum rerum magis cupido abnegarent, venientem tamen quandoque^c ad vos solite credo dignationis^d gremio excipietis. Hac spe subnixus patrem et dominum opto valere et prevalere perenniter.

II.

Precellentissimo et cum^e potestatis, tum etiam pietatis insignibus radianti, domino nostro K(arolo) regi devotissima beatorum Medardi et Sebastiani congregatio fideles et continuas orationes.

Sicut munificentiam vestram erga nos extollere et dignis laudum præconiis satis accumulare non sufficimus, ita contra violentias improborum et illata dispendia vestram clementiam adire, defensionem implorare, suffragium poscere summa et inevitabili necessitate coartamur. Itaque quod numquam vel induxeramus animo vel optaveramus^f, magnitudine malorum addicti^g adversus filium vestrum, seniores nostrum K(arlomannum) eiusque sequaces pro innumeris, quas nobis intulere, violentiis^h querelam vix explicabilem agitare compellimur. Postquam enim vestrę pietatis largitas nostrę parvitatıs usibus villasⁱ villarumque redditus suę precepto maiestatis concedere pariter et delegare^k dignata est, quod quidem vel inmanissimum vel gravissimum extitit, non aliter a supra nominato seniore nostro obtinere potuimus, ut precepto vestrę altitudinis in reddendis villis adquiesceret, nisi ex tesauo ecclesię, quo nostras

a) 'ventum'. b) 'nostrisque'. c) 'que' übergeschr. d) 'dictionis', '-na'- übergeschr.; 'dilectionis' verb. Knust. e) 'si' verb. aus 'iam' las Löwe. f) 'operaveramus' verb. in 'optaveramus'. g) vielleicht 'adducti' zu verb. h) das zweite 'i' übergeschrieben. i) '-las' auf Rasur. k) '-le'- auf Rasur.